

Cineri sancto
clarissimi atque
eruditissimi
domini, dn.
Johannis Myricz
Mat...

1 Ic Fol.



National Library
of Sweden

CINERI SANCTO

Clarissimi atque Eruditissimi Domini,

DN. JOHANNIS

M D C L

Matheseos Adjunct. perindustrii,

Anno M DC LI, nati,

Die ultimo Anni M DC LXXIX.

Diuturno morbo pie defuncti;

Sepulti die 7. Martii Anno M DC LXXX.

Omnes uno tegimur cœlo;
Omnes aura claudimur una;
Omnibus uno titan ab axe
Roseos tingit luce capillos;
Omnibus uno tellus gremio
Exhibet amplas sedula fruges;
Idem vegetat spiritus artus;
Cur non eadem fortuna regit?
Cur cuiusvis soboles terræ
Non promeritis crescit titulis?
Eccur parilis vigor ingenii,
Pariles curæ, parilisque labor,
Parilis pulchræ virtutis amor
Raro parili vastum fama
Pervolat orbem?
O quæ census, Dea, cœlestes
Quæ naturæ breviora via
Partiris opes, quæque astrorum
Cursus varios legesque notas;
Numquid tibi non vetus aula Phari
Ninyæque domus multum veteris
Debet honoris? Veteres Graji
Latiive soli quantis fama
Celebrat titulis uranometras!
Quam Bæugenum sedula magnos
Canit Alphontos! Quam te, Batave,
Multâ nimium nimium felix
Laude tuorum, per spatiosum
Prædicat orbem! Quoties nautas,
Hollande, tuos garrula doctos (nas,
Vocat Astronomos! Iam quid Brito-
Quid Germanos Celtasque loquar?
Ubi siderea distante Dea
Doctum docta mente manuvæ
Conantur opus, mox extremis
Noscuntur Afris. Tu quoque, Cimbri
Quis Tychonem vicine tuum
Nescit? Quæ non loquitur tellus,
Cœloque parem tollit & astris?
Sic dum roseis, fama, quadrigis
Alios late vehis Astronomos:
Cur non simili nostras vultu
Respicis oras? In vicinis
Cur, quæso, pedem figis populis?
Cur extremam refugis Thulen?
An quia nobis animi torpent,
Nec satis apti sumus Vranicæ
Servire Deæ: Num Musa Gothis
Sveoniumve viris, num Finnonibus,
Quos unius comites laudis
Vis factorum provida fecit,
Nunc ceu quondam contempta jacet?
Nullusne sacri climata cœli
Labor est Thules nosse colonis?
Nullus ne tibi Svedicis unquam
Visus in arvis Vranometres,
Qui vel Grajis vel Niliacis
Non similari queat Astronomis?
Peream, peream nisi vidisti,
Si iam numero prendere pleno
Vos non Svedici licet Astronomi,
Saltē unius, quem terra tulit

Finnica, fas sit meminisse mihi.
Te mire senex, os fatiganum
Arone, loquor; Tua venturi
Stupidus miror præscia corda.
Tu non ventos rabiemque maris
Non nimbiferas hyadum lachrymas
Nitidotque atra sine nube dies
Veridica prædicere lingua
Contentus eras. Majora tibi
Arcana dedit novisse Deus.
Tibi fata tui tristia regis
Præscire datum; Tibi quondam ora
Et quassandas Sveonum ferro
Cæsaris urbes, & ab arctois
Latio Validos Patri colaphos
Quam non cassis sonuere minis!
At magne senex cur tibi nomen
Nox tanta regit? Cur te nulla
Loquitur tellus, nec fama oculis
Adspicit æquis? An quia vastus
Varios vario premit axe polus,
Aliaque alii vescimur aura,
Nec mensurâ roseos titan
Fundit radios omnibus unâ?
Sed quid demens operosa nimis
Agito? surdis quid frustra loquor?
Frustra tenues grandia causis
Pensare suis nitimur: unus
Fallor an omnis satis est solidi
Auctor honoris promusque Deus.
Quid si nostras titulis terras
Florere novis Deus ipse vetat?
O Magne parens, quam non dubia
Documeta monent te quas proavis
Marte dedisti, Marte feroci
Laudes rursus demere velle!
Tibi si Sveonas divite famæ
Decorare bono cura est, animos
Veri cupidos & honorificis
Aptos studiis cur ante diem
Tollis? Cur in viridi extingvis
Vere juventæ?
STROPHE
Te, Docte MYRIC, cui & numeros,
Et picturas abaci varias,
Et sinuosa syrmata terræ,
Et flammantis sidera cœli,
Vegeto vegeti sanguinis ævo
Turba Grajū plenius omni
Didicisse datum; Te superesse
Et ad extremum vescier aura
Senium, patriæ quantum intererat!
Tantus primi si veris honos
Tibi, maturæ quanta fuisset
Gratia messis! Patriis quanta
Gloria terris! Sed supremo
Aliter visum rerum Domino.
Hic quando libet quo fixit humo
Pollice flores refodit teneros.
Redeunt vernis lilia campis:
Stat fetoso flore myrica:
Redit & frontem murice tincta
Rosa vere novo: Flos tamen unus,

Princeps horti flos Palladii,
 Flos aonio murice tinctus,
 Torpet tepido non recreandus
 Sole, nec ullis hyadum lacrymis,
 Arbor in uda consita ripa
 Frondibus amplas dividit umbras,
 Lassasque vocat blanda volucres.
 Daulias inter scenæ svaivis
 Svave theatrum canit argutis
 Carmina nervis. Nostra sed umbras
 Dum vix primas & vix sceto
 Palmite flores fundit, subito
 Fluxis languet planta corymbis.
 Daulias odas jam nostra suas
 Liquit, ruptis gutture nervis.
 Heu dolor! atro præfica vultu
 Fundito iustas Musa quietelas

ANTISTROPHE

Tibi, Docte MYRIC, quando &
 Et libranda pondera molis, (numeros
 Et picturas abaci varias,
 Et sinuosa lymata terræ,
 Et flammantis sidera cæli,
 Vegeto vegeti sanguinis ævo
 Turba Grajum plenius omni
 Didicisse datum, quis te humanæ
 Implese neget numeros vitæ?
 Quis non satis hic vixisse putet?
 Heu tantillo non omnis agri

Tempore culmus fruge tumentes
 Præbet aristas. Te vix Juvenem
 Plene magnos æquasse senes,
 Quam rara seges! Tibimet quanta,
 Quanta ô patriis gloria terris!
 Torpent niveis lilia campis:
 Marcet sicco flore myrica?
 Tollit tinctam murice frontem
 Nix prima rosæ. Flos tamen unus,
 Flos Palladii princeps horti,
 Flos cœlesti murice fulgens,
 Viget æterno pulcher honore.
 Arbor in uda consita ripa
 Mœsta virentes perdit frondes,
 Et deceptas avertit aves.
 Daulias inter sicca languet
 Brachia silvæ, nec sibi noto
 Carmine ludit. Nostra ubi primas
 Fuderat umbras planta ac sceto
 Palmite flores, rutilis roseos
 Secum fructus intulit astris.
 Daulias odas jam nostra suas
 Aliâ cœptat gratior arte,
 Miris pangens carmina nervis.
 Age lætemur: Musa fugato
 Docta resumat gaudia luctu.

*Anapestos hosce gravi ex morbo
 languens languente vena cecinit*

JOH. CALIANVS.

Hei mihi! fert trepidus quam tristia nuncia Rumor,
 Quam crepat horrificos tetrica Fama sonos!
 MYRICHII gelidos longus sopor occupat artus,
 MYRICHII claudit lumina dura quies,
 Lumina, queis rutili solers laquearia cæli,
 Queis lustrare pigri svetus opata soli.
 Dic age, carnificum crudelis triga sororum,
 Quæ ducis triplici stammina sacra manu,
 In te quid Suedicæ tantum committere Musæ?
 Funeribus nullum quod facis, atra, modum.
 Quovè adeo calidam poterant accendere bilem
 Crimine, quo tantum demeruerè mali?
 Ecqua feras adeo mentes irritat Aëllø,
 Excitat atque iras Eumenis ecqua tuas?
 Tot nuper cecidere patres, veneranda Lycei
 Lumina, secla PylI vivere digna senis.
 Sanguineo sed adhuc nequis abstinuisse furore,
 Rursum carnifices instruis, atra, manus.
 Nempe leve est rapuisse senes, nisi spem quoque tollas,
 Ni juvenes etiam falx tibi sæva metat.
 O mentes nimium rabidas, ô pectora dira!
 Pectora carnivoris barbariora lupis.

*Hæc ades Adnidum, pullo velatus amictu
 Coctus MYRICHII funera plange tui.
 Tuque veniente alios, querulans Regna Mathefis,
 Tristia MYRICHII funera plange tui.
 Hæc cadit ante Diem, medioque in vere juventæ
 MYRICHIIUS, patris spesque decusque soli.
 Ast videor addire sonos è nubibus altis:
 Non est quod quisquam funera nostra flet
 Hic etenim felix, hic terque quaterque beatus,
 Immistus sacris vatebus atque sopsis,
 Haurio mellifluum rara dulcedine nectar.
 Cotinus hic specto lucida templa poli.
 Salve igitur nitidi MYRICHII novus incola cæli
 Salve perpetuum, perpetuumque Vale.*

JOH. PAULINUS

Vitam hanc mortalium multis variisque calamitatibus & malis obnoxiam esse, multaque in ea incerta & vana occurrere, quotidiana nos luculenter satis docet experientia. Appellaverè quidam hominem *μικρόκοσμον*, seu parvum mundum, compendiosam videlicet ideam magni illius: hunc si vel per transfennam inspiciamus h. e. nosmetipsos qui sumus & unde origo nostra, percilli nos ac vehementer commoveri fragilitatis nostræ pensitatione necesse est. Terra enim sumus & in terram mox reverturi. Veste omni destitutos & inermes prorsus contra omnes injurias in hæc lucis auram nos natura projecit; Quid enim quæso possumus recens nati, nisi vagire, eoque ipso miseræ nostræ magnitudinem, cæu certo quodam indicio, ostendere? Neque corporis tantum infirmitas magna, verum intellectus etiam noster omnium rerum cognitione tum vacuus est. Ingens igitur educantium præceptorumque requiritur labor, ut corpus soliditatem consequatur & mens divinæ particula auræ, notitiâ rerum necessariorum imbuatur, ut nostris nos demum viribus defendere queamus; licet & sic auxilii consiliique alieni semper indigi. Ac quemadmodum herbas arborisque negligentius intruemur eo tempore, quo nondum flores fundunt: hæc aliter primum ætatis nostræ tempus sui ignarum in oculos vix incurrit. Postquam autem animi imperio, ministerioque corporis uti, atque in vitæ nostræ scenam prodire incepimus, tum, quæ persona nostra sit, diutius occultari non potest. Omnibus nobis, ut res dant sese, ait ille, ira magni atque humiles sumus. Secundum externa igitur signa postmodum vulgo de nobis fertur judicium: locus & larva fortunæ beneficio nobis tribuitur, quo decerum in hoc amplissimo theatro geramus vultum. Quæta vero ejus sit inconstantia, hæc facile dixerit quisquam: raro enim secunda, plerumque torva nimiumque aspera esse videtur; tanto autem minus nocebit, quanto validius præsidio virtutum adversus tela ejus muniti fuerimus, quam & sic summa inis non raro miscere putatur. Sunt præterea alia multa, quæ vitam nostram hæc leviter aggravant: corporis nempe afflictiones ac morbi, quæ & perturbationes animi & motus exorbitantes, qui quanto vehementiores, tanto difficilius medicinæ locum relinquunt. Sudarunt in hoc Philosophi veteres, ut remedia hæc reperirent: verum cum causa morbi illis non satis esset cognita, hæc remedia quoque morbis adhibita parum aut nihil effecere. Nos & morbi naturam & ejus curationem ex alio haustum fonte. Affectus proinde animi inordinatos refrenare & ad obsequium, rectæ rationi præstandum, redigere, pulcrum est, quæ in parte etiam gentilium multi laudem meruerunt: at vero longè præstantius & antiquius habetur, mentem densa ignorantie caligine obscuratam, cælesti notitiâ illustrare, ut Deum suum seque ipsum ritè cognoscat homo, vitamque suam sic instituat, ut gratiâ ejus hæc & æternum frui possit. Ad hæc metâ totâ vitâ nostrâ colligendum, hæcque omnis bonæ mentis cultus, omnia studia, omnes denique actiones nostræ referendæ sunt. Quod etiam curæ cordique perpetuo habuit, dum vixit, Vir juvenis Clarissimus & Pereximus Dn. JOHANNES MYRICH Adjunctus Mathefos in inclytâ Academiâ, Upsaliensi perindustrius; quem Deus clementissimus arbiter & moderator rerum omnium oculis nostris, hæc, æta morte subduxit & in cælestia transfudit habitacula. Cujus obitus præmaturus Matri Viduæ, cæterisque sanguine & affinitate illi junctis, maximum acceleravit luctum, quem idem ille Deus Pater misericordie & omnis consolationis leniat, graviterque vulnèrata sanet pectora, ac tandem pro tanto hæc mœnore lætitiâ largiatur perennem.

JOH. SAMMAR.